

## De Sulum Formicarum genere. Cap. XXX.

**R**eperiuntur in Philippicis Insulis duo Formicarum genera Sulum dicta, quarum aliae sunt sex digitos longæ, ac crassa digitum latum, coloris nigritudine, rictu dimidiij digiti, prædura maxilla, & eodem quo corpus colore, cui tres hærent dentes tenues, & firmi, viuuntque in montium arboribus. Aliae sunt alatis Formicis similes, & aliquanto maiores, viuunt in campesribus, atque aduersus hyemis iniurias congerunt arena aceruos incredibilis magnitudinis, intra quos fauos construant, vbi turæ, & munitissimæ degunt.

Finis IV. Tractatus Historia Insectorum.

## TRACTATVS QVINTVS DE HISTORIA AQVATILIVM NOVAE HISPANIAE

De Axaxayæatl, seu Musca palustri aquosa facie constante. Cap. I.

**A**XAXAYACATL parua quædam musca est, & lacustris, faciem candoris àquei gestans, vnde nomen, quæ retibus in Mexicana comprehenditur palude tam fertili statis temporibus capture, ut ex eisdem innumeris tritis, commixtisque globuli parentur, qui toro anni decursu vaneant in emporijs, coquunt illos Indigena Maizij spicæ membranis conuolutos, coniectofque in nitratam aquam, atque ita bonum, multumque, nec gustu insuauit præstant alimentum, quin eisdem aluntur mille Aucicularum domesticarum genera, quæ inclusæ caueis non sine audiendum voluptate occinere solent: sunt earum muscarum, maiorum, minorumque bina genera, sed in minimis diutius immorari dum ad maiora propero, necessarium non duxit.

De Axolotl, sive lusu Aquarum. Cap. II.

Habetur supralib. 9. cap. 4. fol. 316.

De Atetepitz, seu scarabeo lacustri. Cap. III.

**A**crustæ duritia accepit Atetepitz nomen, in lacubus versatur Mexicanis, quibusdam terrestribus scarabeis, ut ex eius imagine appetat) magnitudine, & forma, & pullo quodam colore in atrum vergente perfimilis: crustatum animal, & quatuor saliens pedibus, quorum bini, qua parte umbilicus in alijs situs est, oriuntur, ac se se vbi supinus iacere cogitur vibrans in pronum, atque contorquens: Estur ab Incolis, qui Pamphagorum more nulli pene rei par-

cunt.

## HIST. AQVATILIVM NOVAE HISP. TRACT. V.

77

cunt. Vulgare tamen præber alimentum, velut & Achichimatl, & Atetepitz scarabeorum parvorum, & palustrum, ut coniipi potest genera.

De Atolocatl, seu Gerynis. Cap. IV.

**Q**uam varij sunt hominum mores, quotuplia rerum naturalium genera diversis vniuersi Orbis plagiis in cibos, mensisque venere? En Gerynis non sine voluptate vescuntur hi Occidentales Indi, quos aut intueri, aut nominare horrent nostri, & loculis fricis, formicisque non parcunt, expetunturque ab hac gente multa, quibus nihil à reliquorum mundi Incolatum obsonijs est ablegatus. Quid? quod in eorum emporijs passion illos venales reperis? neque admodum mali, ingratiae noscuntur palato, non vnico parati, licitatue modo? interim ipsi patro fruantur cibo, dum in indicas illas cohortales, quarum masculos Galli pauones vocant, patientur nos saevire,

De Anenez Insecto lacustri Cap. V.

**I**nsecti lacustris genus est Anenez, crustatum, paruum, depresso, tres digitos latos longum, ac toto corpore, si ventrem excipias, teres, septem transversis incisum lineis virentis coloris, ternis vtrinque cruribus tenuibus, ac longis, quæ versus caput procedentia sensim fiunt breuiora. Capite, oculis, totaque corporis forma, terrestris cicada ferè similis est; vescuntur eo Indi, haud aliter ac squillis, neque dissimilem (nam & nos pericitati sumus) alimoniam præbet.

De Amilotl, seu Pisce Tereti. Cap. VI.

**A**d genus candidorum piscium quos vniuersim Mexicanii Ytzacmichin vocant, referuntur tres illi magnitudine quidem differentes, Amilotl nēpe omnium maximus, Xalmichin mediocris, omniumque minimus Ytzacmichin. Amilotl igitur lacustris pisces est squamosus, & coloris (ni quibusdam pullis maculis conspergeretur) tandeſcenſis, sc̄e quidodrantem longitudine, & pollicem crassitudine excedit, binas pinnas habet in dorso, totidem in ventre, vtrinque vnam ac infra ventrem alteram: caput est longum, rostrum acuminatum, sed inferna maxilla prominentior: oculi sunt nigri, iris aurea, aureum caput, venter luteus; adeoque reliquum pene corpus, optimum, & concoctu facile præbet alimentum, nam & ouis capitur magna ex parte onustus, adeoq; gratum, ut cum grauem quandam euasilem ægritudinem, mihiique nutrimenta omnia à sanis hominibus, & sagacioris palati vehementer experita forderent, displicerentque vehementius, hoc vno cibi genere suauissime vsus sim, & ad vires instaurandas non mediocriter adiutus; sed magnitudo ipsa adeo gratiam commendat, ut quò in maiorem amplitudinem adoleuerit, eō maiori habeatur in pretio, exspectatur auditus, rarius inueniatur venalis, inuentusq; ematur carius.

De Ahuauhtl, seu Muscarum palustrum Ouis. Cap. VII.

**E**xtrahitur è Mexicensi lacu pilosum quippiam vocatum Ahuauhtli, copioso prouento, haud absimile papaverino feminini, hoc est oua Axaxayacatl de qui-

de quibus iam dictum à nobis, proiectis in eum sinibus humeri, semorisue trastudinis laxius tamen contortis, qua parte fluctus tumidiores sunt, quibus comotum, turbatumque solet adhærefcere; Inde corrundat Piscatorēs, atque in magna vasā recundunt, ex his, aut effingunt placentas, illis quæ ē Tlaollī parantur persimiles, aut Orbes, quos Tamalēs patria lingua vocant, aut digestū in inuolucra spicarum Maizij reponunt, ut inde occasione oblatā coctione, aut torrefactione parent ferula, pīcolūm quiddam sapit, ipsorumue pīscium oua, nec omnino malum ferunt præstare alimentum; imo licet aridum, & strangulans, ventriculum firmans debile, ac dissolutum.

#### De Acocilin, seu Imagine Cœleæ. Cap. VIII.

**S**Quillæ species est Acocilin nostratis maior, quæ in Palude capitū Mexicana, cauda auium insignis, binis schelis, quaternis alterutra parte crubis, quibus & graditur, & retrocedit: oculis binis, & corniculis duobus prætenuibus: Color est infernè candens, supernè pulius, sed qui cùm elixatur in rubrum (quod cæteris quoque Squillarum generibus est commune) mutetur, fæminæ plenæ ouis nigris, circa postremum ventrem patulis, capiuntur papaveris semiñ forma, & magnitudine similibus, quæ inflexa tuerunt cauda, retinentque. Grati sunt nutrimenti, nostratiuiq; Squillarū sapore, ac succo simili.

#### De Ahuihuitla, seu Aquam trahente. Cap. IX.

**G**enus est Insecti Vermisue crustati lacus Mexicanii alumnī, calami anserini crassitudine, & latitudine trium vñciarum, coloris supernè fului, & albi infernè, ternis graditur vtrinque pedibus, caput est exile, & latiusculum, forcipe armatum, bono, gratoque constat alimento, cauda verò, quæ crustatetur dura pungit; venenumque solet inferre.

#### De Ahuitzotl. Cap. X.

**R**eperias in fluminibus dulcium aquarum calidas regiones abuentium, quale est Yauhtepencensis genus quoddam animalis nigro, pulloque variatum colore, canis Melitenfis magnitudine, quod Lutriæ potest reputari genus, quin lutiæ etiam ipsæ magna copia proueniunt in noua Hispania. Nec non aliud aquatile, animal illis haud assimile, leo aquatilis vocatus, ab Indigenis verò nānāduta ternas pene longus spithamas, rufō pilo, longoque, & molli, sed obscuriore circa dorsum, rostro prolixo, & tenui, incuruis vnguis, cauda longa, brevibus cruribus, & auriculis, & cauda binos dodrantes prolixa, qui pīscibus vicitat, nec aliam quam pellis vtilitatem præbet, viuitque non longè a littoribus maris australis.

#### De Atopinan. Cap. XI.

**N**Aualibus Scarabæis similis est Atopinan: quatuor tamen vñcias longus, ac duas extensus in larum, color est fuscus, & crustaceum regmen, trepitat volans, & circa Lacum Mexicanum noctu versari solet inter iuncta: editur

tur ab Indigenis elixus cum alijs pīscibus paruis, atque herbis. Similis videtur Xopanxacalli, & ad Locustarum palustrium species pertinere.

#### De Ocuiliztac, seu Vermiculis candidis. Cap. XII.

**I**Ta vocare solent Mexicenses quosdam vermiculos alumnos Tenochtitlanæ Paludis, haud assimiles his, qui ē putrecentibus carnibus solent generari: videntur hi dum crudi sunt atti, at torridi in patinis, aut vocatis comalibus, statim candi cant; hos comedunt conspersos salē Indigenæ, suavis testati esse saporis, & quo amigdala nostraria emuluntur: vberima lese vitro offerte quorū annis itato tempore eorum vermium captura, sed præcipue per largiores imbre, mali sunt succi, & inter horrida villa que ferula recentiendi: quam obrem in diuitium, aut cuiliorum hominum non veniunt menas, sed aliorum tamen, quibus alimonias potioris, aut gratioris non suppetit copia aut quorum palatū nihil adeo scđum est, aut horridum, vt effugiat, modo sapiat. Non desunt, qui ab hoc abhorrent alimento cohortalibus Anatibus, pullis, & Arseribus, eodem saginati libertius utrantur.

#### De Amacpalli, seu manu coccinea. Cap. XIII.

**S**Pongia marinæ est species, duriori tamen, quam cæteræ callo, & in digitos longos, ac teretes, manus figuram efformata, vnde evenit illi nomen, oculis raram, & peregrinam formam ab australi missam mari, sub oculos natæ gencisponendam expresa imagine itauimus.

#### De Atexcalquahuitl. Cap. XIV.

**A**texcalquahuitl, seu Arbor lapidea aquæ, saxis marinis innascitur, unde profert Itipites lapides, fulcolque, & nullis ornatos folijs, cuius tamen nū memoratu dignum accepi: Sunt qui Isidos plocaman Plinij, Caritobleraphorone esse contendant, nec desunt qui Antipaten Dioscridis, referantque ad Corallorum genus.

#### De Atonahuiztli. Cap. XV.

**G**enus est lacustris Insecti tenuis, & longiusculi, ternis vtrinque pedibus insitens, ac chellis binis exorientibus circa rostrum, quibus innatet, ac deilit, nulla insigni facultate præditus, sed vitam agens circa lacus.

#### De Xochipaltapachtl, seu Concha minij coloris auriculata, Cap. XVI.

**V**Idimus iuxta mare australe inter alia Concharum genera, quoddam Xochipaltapachtl, à minij colore vocatum, mediocri magnitudine, transuersis semicirculis lineas secundum rectum procedentes secantibus, ac colore minij rubeo, dilutiore, ac luteo in rubeum tendente distinctum: alterum maiusculum, ac lineis simillimum, sed colore candido, rubeo, & fusco varium, ac demum tertium citra auriculas rubeo, diluto, fuscoque colore, & lineis dumtaxat

taxat rectis, sed quæ in eo ipso proculsu in tenuis finiantur orbiculos, quarum nihil insigne accepi præter formam, quæ videretur à Maris mediterranei, & septentrionalis Conchis quadam tenus dissidere.

### De Chacallin. Cap. XVII.

**C** Hacallin, seu locusta palustris Mexicano capitur lacu, Graeci hanc latini squillam gibam, Hispani vero *Camarones* vocant in usum venit alimenti, & nota præstat in cibis commoda, atque ideò à nobis silentio pertransira.

### De Cocolin. Cap. XVIII.

**C** Ocolin, seu cænum grauter olens vocatur ab Indis fuscum quoddam. Mexicanus lacus excrementum: vnde innatans, limo simile, quem odore quoque videretur emulari: vnde nomen vendunt hoc Indi, ac in fercula adhibent, gula quavis re oblata explenda gratia, cum tamen virosum odorem spiret, & noxio constet nutrimento.

### De Cueyat. Cap. XIX.

**V**ocant Mexicanus Cueyat ranarum speciem quamdam in prædicto solitam capi lacu, hæc eadē cū nostratis est; nisi è viridi colore vergeret in nigrum, nam & cibis idonea est, & salubre, gratumque præstat alimentum: reperiens tria earum mediocris magnitudinis genera, fuscique coloris, quarum Xuchcatl omnium minima sunt, viridesque. Acacueyatl omnium maximæ atque tertiæ. Cueyat vero femora habent interna parte lutea, pectusque, & mediocri inter præcedentes constant magnitudine, quæ omnes sunt aptæ cibis: reperiuntur quoque Rubetæ parvæ vocatae Tamacolli, alia vero monstrifica magnitudine Aquaque nominatae, quarum lac posteriori parte fusum beneficium est, sed de his iuso dictum est loco.

### De Yzcahuatl. Cap. XX.

**L** Umbrorum tenuissimorum congeries quædam est Yzcahuatl, quæ retibus Mexicano capta lacu, ac vasis quibusdam capacibus seruata in emporiis, quæ Tianquiz patria lingua vocant, venundantur, eadem ab Instituto decota pullum colorem induit, odoremque quallem piscium fundunt ora, & coctam papis refert substantiam, lac auger lactantibus enixis, quod sit, ut quidam inde placentas efforment, & exsiccatas reponant, et si neque eo modo diutius saluæ seruent, incorruptæque; cum semidecoctæ sunt, additur siliquastrum, ut simul cum sale saporis eluctentorum adaugeat gratiam, quo pacto palatum demulcent, nec insigne aliquod videretur inferre nocumentum.

### De Yayauhqui, seu Atro Xohili. Cap. XXI.

**M**inima vocatorum Xohilium species est Yayauhqui, pisciculus nempe lacustris, squamosus, minimi digiti magnitudine, pullo colore, vnde nomen,

men: ventre proportione corporis maximo, Gerynorum æmulo, & laxioris quam deceat cibi, id eoque neque admodum salubris, neque ab ullo anxie expediti.

### De Yacapitzahuac, seu Pisces tenuis nasi. Cap. XXII.

**M**inimus est eorum piscium, quos Indi Yzta Michin, nostri vero candidos vocant, lacustris, fluuiatilisue, viuiparus, squamosus, coloris argentei, nec mali, aspernandiue alimenti, ouorum præcipue copia, gratia commediantur, minutiæ, cendentibus que tegitur squamis, & inferior est gustu, ac salubritate, vocato Amilot specie candidorum maxima, de quo suo dictum est loco.

### Iterum de Yacapitzahuac. Cap. XXIII.

**P**iscis est Mexicanus lacus spithamam longus, & pollice paulò crassior minutis ille squamis tegitur, pinguis duas habet in ventre, in dorso vnicam, & singulas in singulis branchijs: oculi sunt parvi, ac nigri, color totius corporis candes, nisi quod iuxta branchias paleat, ad Pisces albos, quos Yzta Michin hec gens vocat, pertinet: bono alimento conflat, & minimè ingrato sapore: influunt enim huic Mexicanus laqui fontes, riuulique non pauci, ameni, admodumque salubres, quorum lymphis præter pluvias, magna ex parte conflat.

### De Yztatl, seu sale fontano. Cap. XXIV.

**E**T alijsim de sale vniuersim loquutus, de fontano est hic rursus nonnihi adiiciendum: generatur ergo è quibusdam falsis fontium aquis, multis erumpentium locis, coniectis in cauitates quasdam arte paratas, falsis genus optimum, humidioribus partibus à solis calore consumptis, reliquis vero, quæ ad naturam terrenam potius accidunt, cum nonnulla aquæ portione coactis, salverò, aut Nitrum, quod colligitur, deraditum ex alio palustri pluvijs effantibus atescente, ut à terrestri portione separetur, maceratur in primis ex aqua, ac residente terra, liquata tenuior pars cum lympha fluit per canales ad hydrias, e quibus desumpta in cauitates predictas dispergitur, vbi vi solis in sale coit.

### De Michpillin, seu Ouis Piscium. Cap. XXV.

**G**enus illud lacustre albū, quod ex omni piscium in lacu degentium mexicano conflatur multitudine, vnde factum est illi nomen, statim anni temporibus eadem captum palude haud aliter, quam Thyni, Trichiæ, scombri, semilesq; pisces alij gregatim vagantes in Oceano, Agmen pisciculorum esse creditur haud lendifibus maiorum, medio id procedit alio in neutrum littus inclinans, tam numerosa multitudine, ut quinque cubitorum interullum, aut amplius occupet: non pretermittunt occasionem Piscatores, sed diligent observatione, & cura, vagantes Pisciculos captant, excipiuntur retibus, atque ita non mediocris solet se numero fieri capture. Coquuntur ijdem ahenis fistilibus vasis, ferculisque vbi opus est adiiciuntur, addito siliquastro, chiliue, quo apparatu, neque modico, nec ingrato cibo conflat, sed quo non modo in-

di, verum Aduenæ quoque Hispani se penumero vesci gaudeant.

De Xiomichin Mexicanorum, quam nostri Troctam  
vocant. Cap. XXVI.

**P**iscis est squamosus Troctæ, Salarisue nostratis forma, magnitudine, suatare, squalitis, ac nutrimento; sed punctis rubeis minime distinctos, quam ruboris cuiusdam expers non sit: circa torrentes calidarum regionum non longè à Mexicana Vrbe, magna que aquæ dulcis versatur flumina. Caput resumum est, duorum dodrantum longitudine, squamae minutæ, dorsum nigrum, candida latera, squamis tamen quibusdam nigris conspersa, ac venter albus; dorso quaternæ insunt pinnae, ventri totidem, quaternæ iuxta branchias, ac binæ aliae circa excrementi meatum: varijs capitul locis, sed præcipue iuxta Hocyacocotlan, sunt autem, qui Patlani michin vocent.

De Malullis Cap. XXVII.

**V**ocant Guastecæ Malulles, genus quoddam Ranarum aquaricarum optimi, pergratique alimenti, ac pondere libram unam æquantium.

De Tepechacallin. Cap. XXVIII.

**C**apiuntur in fluminibus calentum Regionū eæ, quas locustas latini, Mexicani verò Tepechacallin vocant, dodrante longæ, ac duos pollices plus minus crassæ: eduntur coctæ, aut ferculi modo, quod candidum vocamus, paratae, qua præparatione, carnium saporem præferunt, quanquam piscolum aliquid semper oleant. In Mexicano verò Lacu Cicada versatur palustris, patria lingua dicta Atopinan. Item Colca paruæ, quibus vesci Indi minime affluerant, Cancrorumque varia, & innumeræ genera, nec eorum modò, quorum meminit Antiquitas, sed aliorum quoque, qui varia forma, & varijs etiam constant coloribus, haud minori Concharum copia, atque varietate. Verum nobis animus non est tam multa animalia præseguiri, donec per otium liberius concedatur degagari, quemadmodum nec Scarabæorum, qui itidem eduntur ab Indis varia genera, quale est Atetepitz, & Coatecpatl.

De Xohuilin. Cap. XXIX.

**X**ohuilin maximus, & qui iam ad iustum deuenit magnitudinem, Xohuilin simpliciter dicitur: qui verò natu minor est, sed ætate huic secundus, Tlacoxyohuilin nuncupatur. Tertius ab illo Tepiton xohuilin, ac minimus omnium Yayahqui, de quo alibi sumus loquuti: maximus omnium lacustris est, ac dodrante æquans longitudine, nec pisibus circa Hispanorum flumina versantibus dissimilis, candens est, verum totus pene sanguineis perfunditur guttis: cauda est lunata, vñica dorso pinna, branchijs binæ, binæ ventri, ac iuxta anum vñica: caput resumum est, corpus tectum squamis exilibus, & venter ouis magna ex parte onustus, oculi sunt parui, nigrique, iris ex pallido rubeicit, & corpus vniuersum paleficit è candido; estur in meliorum piscium penu-

penuria, et si vitioso constet alimento, parumque grato, carneque laxiore quam deceat, atque molliore.

De Xalmichin, seu Pisce arenoso. Cap. XXX.

**S**pecies est mediocris eorum piscium, quos candidos, seu Yztacmichin vocant, aut js ipse Amilotl, mediocri tamen, nec vigentis ætatis magnitudine: Amilotl enim maximus alborum est, Xalmichin mediocris, & qui simplicer Yztacmichin vocatur, minimus. Est & alius pisculus Xalmichin dictus, vix minimum digitum longitudine, aut crassitudine æquans, rubeis squamulis, nec nostratis rubeculis valde dissimilis, qui omnes squamosi sunt, bonaque, & grato alimento, præcipue si iustum attigerint magnitudinem, elixique ex aqua pura, additoque hortensi apio edantur.

De Xalmichin Quauhnahocensi. Cap. XXXI.

**P**iscis est dodratalis molli, & carenti tectus pelle, sed circa dorsum Mutillinæ modo distincta: cauda lunata, candido, nigroque variata colore, pinnis duabus circa dorsum, binis circa branchias, & circa excrementi meatum vñica. Viuit in fluminibus regionum calidarum, & quamvis non sit squamosus, gratum tamen præberet, ac bonum alimentum.

De Texcalnanacatl, seu Fungo lapideo. Cap. XXXII.

**A** Figura nomen accepit hic lapis, qui fungis similis est, ac colore albo, cinereo, & subrubro variatus: offenditur aliter propè littora maris australis, cuius fortassis salsa aquarum vi, hac est donatus forma.

De Tapachpoxcauhqui. Cap. XXXIII.

**T**apachpoxcauhqui, seu Concha muscosa, Conchæ genus est, cui muscus innascitur, à mari australi delata. Inuenit verò à musco eidem innasciendi nomen.

De Huitzitzilmichin. Cap. XXXIV.

**P**iscis est Oceani septentrionalis alumnus, laminis squamarum instar tectus, duos longus cubitos, tenuisque, & rostro octo vñicias prolixo, sed superiori parte contra acuum aliarum naturam paulò longiori, ad quarum tamen species puto referendum, & colore carenti nutrimento verò salubri, & grato, quale est Asellorum.

De Tlacamichin. Cap. XXXV.

**I**ta appellant Indi pissem, quem Hispani Indigenæ Dobalum vocant, qui versatur quoque in mari australi, diciturque ab antiquis (è multorum virorum sententia) lupus, ab alijs iamdiu descriptus, cum capitib eius lapillis, atque vsu.

## De Quatetl. Cap. XXXVI.

**P**iscis, quem Mistecæ Quatetl vocant, Mexicanæ verò Axolomichin, dicitur ab Hispanis *Bagre*: in utroque viuit Oceano, & ad flumina quoque descendit. Piscis est corio, non squamis testus, ad duos, tresve palmos adoleſcens, duas prælongas gestat barbas, quarum ratione barbus quoque dici posset: cauda est lunata, supra dorsum prælonga pinna, statim à capite sumens exordium: alia verò non longè à cauda, quæ parua est: circa ventrem duæ aliae, prater duas, quæ sub sunt collo. Prægrato conſtat alimento, pinguique, & elixus estur: dorſum nigrum est, ad media vſque latera; venter vero, & reliquum corpus candens linea que inter partem cudentem, & nigram vtrinque, recta procedens.

## De Papalomichin. Cap. XXXVII.

**P**iscis quem Mistecæ vocant Papalomichin, Mexicanæ verò Tzatzapalmichin, Hispani *Muxarran* nuncupant, Antiqui verò ( vt creditur) *Sparum*: nascitur in utroque Oceano, parvus piscis est, ac latus, & cauda lunata, duabus ornatur pinnis iuxta branchias, præterea alijs iuxta ventrem binis, & altera iuxta caudam, & supra dorsum altera, quæ à capite ad caudam vſque procedit, horridulus spinis conſtat: Piscis est squamosus & grato, salubrique nutrimento. Vocant & alium Piscem *Muxarran nigrum* Hispani, Mexicanæ verò Cacalomichin, duarum Spithamarum longitudine, coloris nigri, magnis squamis, cauda orbiculari, vniuerso dorso spinifero, ac pinna propè caudam magna, caudam ipsam attingente, ac præter illas branchiarum, duasque alias, quas habet in ventre non longè à capite, alia est prædictæ valde ſimilis, bono, & grato conſtat alimento, & in utroque Oceano dicitur viuere.

De Xochipaltapachtli, seu Concha auriculata minij colore  
Cap. XXXVIII.

**V**idimus iuxta australē Oceanum inter alia Concharum genera quoddam Xochipaltapachtli à colore minij vocatum, mediocri magnitudine, trāfueris ſemicirculis, lineas alias ſecundum rectum procedentes ſecantibus, ac colore minij rubeo dilutiore, ac luteo in rubeum tendente diſtinctum. Alterum, etiam maiuscum, ac lineis ſimillimum, sed colore candido, rubeoque, & rufco varium, ac demum tertium ſine auriculis rubeo diluto, fuscoque tantum varians colore, & lineis dūtaxat rectis, sed quæ in eo ipſo procurſu in ternos defiſtant orbiculos, quorum nihil in ſigne accepi præter formam, quæ videtur à Matis mediterranei, & ſeptentrionalis Conchis, quadam tenus diſfidere,

## De Acipaquitli. Cap. XXXIX.

**Q**uem latini *Serram* vocant, Mistecæ Acipaquitli nuncupare conſueuerunt utroque viuentem Oceano; huius formam veriſima imagine ex ipſo Pifice deſumptam reddendam curauimus; sed deſcribendum pifcem nolimus, vi de quo noſtrum protulerimus in commentarijs, in X. Plinij librum editis cit, &

ſentiam

fentiam, ad quem Lectorem duximus ablegandum, cùm iamdudum noſtri innotuerit Regionibus, & nunc ob temporis angustiam non licet per cognita diuagari.

## De Aloſac, lupeaue maris Australis. Cap. XL.

**A**llatus est à Mari australi ad nos Piscis, quem *Sauale* nostri vocabant Hispani, eo per omnia ſimilem, ſed maiorem, ac longè inferiorem ſapor, quem tamen depingi nolimus, ob indiſtinctam penē cum eo ſimilitudinem, ſed ſpecie diſtare putauimus ob ſaporis, nutrimentique inſignem diſtentiā, comedimus etiam in Haitina Inſula, cùm ab eius Ecclesiæ Antiftite, hōpicio exciperemur, eodem nomine, & forma Pifcem, à ſeptentrionali petum Oceano, ſed adeo diſſimili gultu, ac nutrimenti, ut diuerſum ab illo eſſe intrepide iudicauerim.

## De Acacana, ſeu Pifce gibbo. Cap. XLI.

**P**iscis eſt pene dodrantalis inferiori labro prolixiore, ac inſigni gibba, quæ à capite exordio ad os vſque ( quod eſt valde paruum) arcuato flexu deſcendit, vnde nomen fortitus eſt, dorsum, lateraque cyanea ſunt, venter, ac laterum pars alba, ac præter duas pinnas, quæ circa branchias ſunt, vtrinque vniqa angusta, & longa; & aliam paruam, duæ aliae vſuntur breues, altera à medio ventre, altera verò à dorſo in caudam vſque procedens; ſquamofus non eſt, & tamen bono conſtat alimento; Mare illum ad me mifit Australe, eti quidam referant in ſeptentrionali quoque reperiri,

## De ſerra Pifce. Cap. XLII.

**A**llatus eſt ab eodem Mari Pifci à Tototepcenſibus Tlateconimichin nūcupatus, dodrante paulo longior, anguſtusque, lunata cauda, acuto capite multis exiguis, & percutis dentibus, ac præterea, quæ branchijs circumſtant ſupra, infraque, & ab utroque latero binis pinnis, altera circa dorsum, & circa ventrem altera, à quibus in caudam vſque quidam velut dentes procedunt, quorum ratione Hispani, Coloti *Serram* vocant, cute tegitur, ac ad ſuarorum, ſcombrorumque videtur genera pertinere.

## De Acacapallin. Cap. XLIII.

**R**eperiuit etiam in mari australi *Sargus*, vbi Acacapallin ab asperitate vocatur, magnis ſquamis teſtus, & tenuiſt transuersis, fuscisque diſtinctus.

## De Acuetzpalmichin. Cap. XLIV.

**S**piræa altera ſpecies eſt, & quam noſtri *Bicudam* vocant, viuitque in Mari australi iuxta Tototepcenſes, inſigne eſt in hoc Pifce infeſius rostrum longius eſſe superiori, & ſquamis tegi, ſunt qui Quacuetzpalmichin vocent.

## De Coatel. Cap. XLV.

**P**iscis est fluminum, ac Maris Australis Incola, *Bagre* ab indigenis Hispanis appellatus, corio tectus molli, lunata cauda, binis insignis prælongis barbis, prolixa item pinna, quæ à dorso iuxta caput oritur, binis alijs circa branchias, ac iuxta caudam superne infernèque duabus, notissimus est in noua Hispania, & interdum ad trium cubitorum longitudinem adolecit.

## De Huitzitzilmichin. Cap. XLVI.

**G**enus est *Aetus*, sed rostro inferiori tres digitos longo, & prætenui, superiore verò mediocriter lato, ac semiunciali: cetera alijs congeneribus similis. Viuit in Mari Australi, & squamis tegitur.

## De Papalomichin. Cap. XLVII.

**I**ta vocant Incolæ sparum album, quem nostri *Mugarram* vocant, maris etiam australis Alumnam, nigrum verò sù Cantharum, Cacalomichin, quos Pisces velut notos, etiam Hispanis, & in septentrionali quoq; natos mari, non curui depingendo.

## De Quetzalmichin. Cap. XLVIII.

**I**n signis etiam Piscis est Quetzalmichin, quem fabrum vocant, sed mari etiam mediterraneo frequens, vel ob crines, quos dorso gestat, nigros, & prælongos, quem velut notum quoque præterea.

## De Tenexmichin, seu Pagro. Cap. XLIX.

**E**adem ratione, & Pagrum prætereundum duxi, dum tam enster apud Aulrale Oceanum, non minus ac apud nostra maria versari, quod etiam de Tlaxcilmichin, seu solea dictum esse velim.

## De Ceyanemichin. Cap. L.

**C**oyanemichin, quem Indigenæ Hispani *Porcum* vocant, utriusque Maris Incola est, rotunda pene forma, lunata cauda, ac binis pinnis superne infernèque prælongis, à medio corpore in caudam usque procedentibus, & resimo, ac obrotundo capite, squamolus est, & grati, probatique alimenti.

## De Yzcobua. Cap. LI.

**V**ersatur quoque in prædicto Mari Piscis, quem Mexicanii Yzcobua, Antiqui lupum, & Hispanenses *Rodal*, qui offenditur etiam in fluminibus, squamolus, gratique, & valde probati nutrimenti, necnon & Trichiæ nostrates vocatae ab Incolis Caçamichin, Coracini etiam, quos Incola *Popoyotl* vocant, & Macamichin, quos nostri *Chucbaroz*, computatos inter *Trachuros* minores squamosos, lunata cauda, oblongosque, & magni capitisi, & Galeorum genera permulta; Præterea Tentzonmichin, seu Piscis barbatus, ita dictus à barbis prælongis

## HIST. AQVATIL. NOVAE HISP. TRACT. V.

longis, quibus est insignitus, & id Mugilum genus, quod nostri *Licam* Indigenæ Malacahual, vocant: & quem nostri *Ronador*, Indigenæ Chianmichin, & Antiqui Exocatum: & eorum, quos indigenæ Cocamalomichin, nostri *Palometas*, & Antiqui *Glaucos* vocant, species tres, quorum alter latior est, ac quaternis, quinque lineis cyaneis transuersum discurrentibus insignitus.

## De Coamichin. Cap. LII.

**M**issi præterea sunt ad me Icônes aliorum quorundam Piscium, qui procedente tempore deferentur, ac si opus fuerit, delineabuntur, quorum interlin non nihil dixisse conueniet, interque illos in primis de Coamichin, qui ab Anguibus, quorum referre videtur formam habet nomen; longiusculus enim est, teres, ac minimè squamosus, ac fortassis inter Galeos, reponendus. Secundus Cochomichin, qui à Psittaco fortitus est, nuncupationem, cui rostro iudices magnopere assimilari. Alia insuper spirentæ species, teres, pârua, ac prælongo rostro, vocata Totomichin, necnon Colomichin oblongus pisces, ac parvus, ac Achiyomichin prorsus similis illi, quem gibbum vocant, sed differens colore, qui huic ruber est.

## De Manati. Cap. LIII.

*Habetur supra lib. 9. cap. 13. fol. 323.*

De Piscibus, qui nauigantibus in Nouam Hispaniam occurrere solent. Cap. LIV.

**N**auigantibus in Nouam Hispaniam solent occurrere, & facili opera capi Tiburones, valti Pisces, & ad Cartilagineorum, oblongorumque differentias pertinentes, qui adeo voraces sunt, vt ingentem quandoque canem à Tiburone absumpsum eiusdemq; posteriora utraque crura, vna cum natibus uno morsu ablata complures le vidile testentur, referantque, lanienis cultrum, hamum prægrandem maximamque Taurini capitisi partem in stomacho alterius simul inuenta. Quin traditur in peculiari maris recessu festiuissimus de illis iocus, demitti videlicet, integrum equi partem quartam, vt adeo aquæ extimam, ad aliquot palmos non attingeret superficiem accurrere nihilominus ad obtutum, & olfactum tanta pernicitate, & impetu Tiburones, vt saltu ex aquis prorumpentes medio in aere carnem, & osla ipsa non minori facilitate effracta forberent, quam si quis laetucam dispergeret. Horum Tiburonum capitibus, ob asperitatem ingenitam supini adhærent adeo pisciculi, quos Romeros vocat, vt nullo conatu eos abigere possint, illi verò dolatae prædictæ portiunculis, quæ plerunque per rictus Tiburonis effugiant, victum sibi querunt: Hique ad turdorum differentias pertinentes, grati gustus, ac salubris. Quid numerem Mugilum alatorum turbam, & aureos Pisces, eodem toto in sequentes Pelago, iucunde, atque optimæ alimonie, quos in Anthiæ species fortassis aliquis referat, aut Delphinos Toninas vocatos, mali inter Nautas ominis, & procellosum tempus præagientes, marinos homines, trabes prælongas, Porcos, Pagros Ralias, Bal-

Ballenas, scolopaces, & alios permultos in mentem modo non venientes, qui mihi semel tantum in Nouam Hispaniam nauiganti casu sunt oblati.

De Piscis Tauri forma, qui à Chines Oceano delatus est.

Cap. LV.

**P**isciculus est vix duos palmos longus, sed pinna caudæ instar sex pene prolixæ digitos, corio intectus duro, fuscus, sed circa ventrem carenti, & ubique pentagonis, sexangulisue distincto figuris, os est minimum, sed longiusculis munitus dentibus, oculi magni, pinnae circa aures binæ faris parvæ, quemadmodum & aliæ duæ, quarum altera circa extrema ventris est, altera vero iuxta postremum dorsum: mirum est in hoc pisciculo duas prominere iuxta frontem spinas acuminatas infraetæ duritiae instar corniculorum, ac totidem alias eadem magnitudine, & forma, circa ventris postrema; ceterum de nutrimento aut natura eius nihil adhuc memorandum habeo, quod tradere possum posteritati, nisi pandente se se quotidie amplius mundo, antequam moriat quicquam hisce meis scriptis adjici posse liceat sperare.

De Cuitlapetotl, seu Pisciculo lacustri ventris magni. Cap. LVI.

**P**isciculus est digitum longus, crassusque, ita vocatus, quod cœnosiis aquis degat, & ventrem habeat proportione corporis magnum, fulci coloris. Vulgaris alimenti, & Mexicanis lacubus familiaris. O.N.

Finis V. Tractatus Historia Aquatilium.

## TRACTATVS SEXTVS DE HISTORIA MINERALIVM NOVAE HISPANIAE

Hic tractatus constat 36. capitibus, quorum 26. habentur supra, Volumine 1. lib. 10. capitibus, & folijs infra notandis.

- |         |  |
|---------|--|
| Cap. 1. | De Chimalizatil, seu lapide speculari. s. Ib. cap. 3. fol. 336 |
| Cap. 2. | De Chapopoti.  |
| Cap. 3. | De Hoitzitzihiel.  |
| Cap. 4. | De Tchcateil, seu lapide Gossipij.                             |
| Cap. 5. | De Ytzacxalli.   |
| Cap. 6. | De Tlanexillo.   |
| Cap. 7. | De Tapachpatli, seu hepatis medicina                           |
| Cap. 8. | De Yztlilapide.  |
| Cap. 9. | De Yztal, seu sale ingenere.                                   |
|         | Cap. 10.   |

Cap. X. De Texotli seu filatico.

**G**enus est Terra in montibus quarumdam Nouæ Hispania Regionum effossa, teritur hæc, includitur saccis, atque effusa desuper aqua, tenuior pars permititur excolari, siccata redigitur in placentas cyaneas, quibus pictores eundem colorem emulantur: quæ remansit in saccis crassior pars tunditur, effusaque rursus aqua, tenuior secundò fluit, ad eadem utiles, quamquam dilutior, atque vilior.

Cap. XI. De Tlalyac, seu terra fetida. vbi sup. cap. 23. fol. 341

Cap. XII. De Teticatl.

**T**ericatl, seu lapis Ticatl lapidis albi genus est, quo vistò vtuntur pictores ad albū colorem exprimendum: quamuis Chimalticatl vocato, candore cedat,

Cap. 13. De Tequixquil iterum. vbi sup. cap. 26. fol. 344

Cap. XIV. De Tecuitlatl.

**S**caturit Tecuitlatl nonnullis è locis Aluei Mexicanii Iacus persimilis limo, & summas statim petit aquas, vnde excipitur, verriturque retibus, aut coagatur palis, Indi extractum, & paulisper siccari permisum ad solem efformant in placentulas: rursus exponitur soli herbis virentibus super impositum, donec exquisitè arefcat, ita reponitur, vt caseus in anni tantum vnius visum: estur vbi opus est cum Maizio torrefacto, vulgaribusque Indorum placentis: Vnaquaque limi huius vomica peculiarem fortitur Dominum, cui mille aureos interdum annuos reddat: sapore est casei, à quo sumpsit apud Hispanos nomen, sed minus grato, & cœni quodam odore: color adhuc recenti cyaneus, aut viridis, sed limulos inueterato, è viridi nempe vergens in nigrum, edulis exigua portione, eademque assumpta loco salis, condimentique maizij, at quæ ex eo parantur placentulæ, improbi sunt, ac rusticani cibi, & hoc vel eo constare, potest, quod cum Hispaniensis Coloni nihil quod ad palati delicias spectet maximè apud has regiones intactum reliquerint, id nutrimenti nunquam suis per miserint fauibus deuorandum.

Cap. XV. De Tlahuitl, seu Rubrica fabrili.

**Q**uod Mexicanii Tlahuitl vocant, nos Arabum emulacione Macram, Latinis vero Rubricam fabrilem appellant, genus est pallentis Terra, quæ torrefacta rubeum è vestigio induit colorem, utiles pictoribus, ædiumque parietibus, soloue inscindis colore.

Cap. XVI. De Tetilli.

**T**etilli seu Ater lapis genus est terre in mysticaru regione vocata huius Novæ Hispania præcipue effossa, arra, & qua pictores eidē colori imitando passim vrantur, et si alia paretur apud eos atramenta differentia vocata Ocotilli ex fructu assularum Pinus cuiusvis, nuncupatæ patria lingua Ocotl, vnde nomina

M atra-